

II. *Observatio cometæ, qui mense Maio A. 1759 apparuit, facta Hagæ-Comit. à Petro Gabry, I. V. D. Societatis Reg. Scientiar. Socio, et Commercio Literar. cum Academ. Scientiar. Parisiensi et Reg. Societ. Gotting. juncto: Communicated by Mr. Emanuel Mendez da Costa, Librarian of the Royal Society.*

Read Jan. 13, 1763. **D**IE 2 Maii, vesperi hora 9, cœlo sereno, prima vice cometam vidi exorientem, et in gradu $19^{\circ} 12' 24''$, Virginis, cum $28^{\circ} 40' 5''$ latitud. austral. existere, observavi: cauda existente admodum exigua, et vergente versus stellam *W Doppelmajeri* Atl. cœl. in constellatione Hydræ, vel β *Bayeri* Uranometr. Tab. 42. et *Flamsteedii* Atl. cœl. in constellationibus Hydræ, Corvi, & Crateris, in basi Crateris australis. Ipse vero cometes ei stellæ, quæ est tertia et proxima ante Craterem *V Doppelmajeri*, vel ν *Bayeri* Tab. 44. in constellatione Hydræ, quasi subsidebat, paulo tamen illa australior.

Secunda vice observavi eundem cometam ascendentem supra horizontem proximè sequenti die 3 Maii, post nonam et dimidiam vesp. horizonte nostro meridiem versus exhalationibus infra cometam obtecto. Inveni autem ejus longitudinem $17^{\circ} 11' 40''$ cum latitud. $27^{\circ} 20' 20''$ austral. Idem tum australior factus longius à Crateris basi recesserat, ita ut ferè in recta cum Ω ad alam dexteram Corvi *Bayeri* Tab. 43, et spica μ linea existere videretur.

B 2

Tertia

Tertia vice cometa mihi fuit conspectus vesperi die 6 ejusdem mensis post horam nonam cum dimidia. Vidi tunc cometam multò occidentaliorẽ quam ν et supra ϕ *Bayeri* Tab. 44, factum esse, et cum corde Hydræ et ala sinistra Corvi γ *Bayeri* Tab. 43, efficere triangulum obtusangulum, cujus angulus erat in cometa obtusus et horizonti vicinior; basis sive hypotenusa erat recta jungens dictas stellas, et versus zenith vergebat. Cometa longitudinem habebat $12^{\circ} 51' 7''$ m , et latitud. austral. $22^{\circ} 37' 24''$.

Proximè sequenti die 7, post nonam et dimidiam (paullò ante 10) vespertinam, eum iterum contemplatus sum, et cum prima trium ante craterem S *Doppelmajeri*, vel μ *Bayeri* Tab. 44. et proxima ante craterem V *Doppelmaj.* vel ν *Bayeri*, iterum ferè conflare triangulum obtusangulum; non ut hesternò die, sed in statu inverso, et non tam obtuso: cujus angulus ad cometam obtusus erat, et zenith versus vergebat, hypotenusa seu basis jungens dictas stellas, recta, et horizonti vicinior, et cometa sane sine cauda. Longitudo ejus $11^{\circ} 59' 14''$ m , cum latitud. $21^{\circ} 1' 44''$ meridional.

Cæterum, diebus 15 et 16 ejusdem mensis cometam admodum debilem vidi, et sine magno labore tubo contemplatus sum, ita ut nulla amplius observatio à me fieri potuerit.